

ritas, & perpetuitas. Nam hæc quatuor ita insunt S. Literis, vt in tali forma & gradu nusquam ea sit inuenire.

17. *An ecclesia auctoritas sit supra Scripturam?* Minime vero. Nam ecclesia est discipula, custos seu tabellio, vindex, præco, & interpres Scripturæ.

18. *An sola Scriptura sit iudex controversiarum religionis?* Ita est, si quidem fermo sit de iudice inappellabili & infallibili.

19. *Cur Scriptura dicatur canonica?* Quia est canon fidei, vitæ, & vocationis filiorum DEI: canon, inquam, animi exceptione major, adeoque mensura mensurans & primo prima.

20. *An omnes libri à Prophetis & Apostolis scripti, fuerint canonici?* N. Nam illis solis hoc competit, qui à Deo sanctificati & segregati sunt, vt constituerent canonem. Vnde isti soli appellantur ἐν δὲ ἀθήκοις, i. e. testamentarij.

21. *An omnes libri canonici sint eiusdem auctoritatis?* A. Nam diuina auctoritas nõ recipit magis & minus.

22. *Penes quem sit constituere canonem?* Penes solum Deum. Ille siquidem est author fidei, & proinde canonis fidei. Sanxit autem Deus canonem partim immediate, partim mediate. Immediate, quia libri Mo-  
lis